

O D E XXVI.

Horatii preces ad Apollinem.

**Q**uid dedicatum poscit Apollinem  
 Vates? quid orat, de patera novum  
 Fundens liquorem? non opimas  
 Sardinia segetes feracis:  
 Non astuosa grata Calabria  
 Armenta; non aurum, aut ebur Indicum;  
 Non rura, qua Liris quietâ  
 Mordet aqua, taciturnus amnis,  
 Premant Calenâ falce, quibus dedit  
 Fortuna vitem: dives, & aureis

*Dedicatum Apollinem.* Dedicato templo ornatum: vel, statuam Apollinis dedicatam, & consecratam. Vide 2. Indicem Odarum, ad an. 726.

*Vates.* Horatius: de se loquitur in tertia persona.

*Novum.* Recens haustum è dolio; vel, recens ex uvis pressum.

*Liquorem.* Vinum: hoc effundebant, vel in aram, vel in humum, ac veluti sacrificabant: perit enim, & veluti immolatur liquor fusus.

*Sardinia.* Est insula prope Siciliam, frumenti ferax.

*Calabria.* Est Italiae regio, prope Siciliam; hodie pars regionis Neapolitani.

*Indicum.* Ex Indiis deportati solium in Europam.

*Liris.* Campania in Italia fluvius, altus, & quietus.

*Mordet.* Alluit, lambit.

*Premant.* Amputent vitis ramos inutiles. Ita Virgilius dixit falce premere umbras, pro, resecare ramos umbrosos.

*Calenâ falce.* Hoc est, cultello falcis instar incurvo. Cales oppidum est Sabinorum in Italia, cujus in agro vina erant optima.

*Dives, &c.* Patior etiam, ut mercator dives exhauriat aureis poculis vina, quæ comparavit, sive emit, mercibus Syris, è Syria ab ipso advectis. Syria est regio Asiae, continens Phoeniciam, Palaestinam, Judæam, Idumæam, &c. omnium rerum ferax.

Mercator exsiccat culullis  
 Vina Syra reparata merce;  
 Diis carus ipsis; quippe rer, & quater  
 Anno revisens aquor Atlanticum  
 Impunè. Me pascent oliva,  
 Me cichorea, levesque malva.  
 Frui paratis, & valido mihi  
 Latœ dones, & precor, integrâ  
 Cum mente; nec turpem senectam  
 Degere, nec citharâ carentem.

*Culullis.* Cyathis. Culeus est aliquando mensura 20. amphorarum: hinc ducta vox, culullus.

*Reparata.* Permutata, vicissim parata, permutatione scilicet factâ Syrae mercis, cum vino: vel, quia singulis annis, eum priora vina consumpta sunt, nova emit.

*Carus.* Mercator; felix, ita, ut appareat ipsos Deos ejus curam gerere.

*Anno.* Per annum, in anni unius spatio.

*Revisens.* Navigando.

*Atlanticum.* In Africa, ubi mons Atlas: ibi ferme orbis fines Romani ponebant, versus Occidentem.

*Impunè.* Sine periculo, securâ, & felici navigatione.

*Levesque.* Quæ gravem alium levant, ac solvunt.

*Paratis, &c.* Opibus, & bonis quæ paravi: seu, quæ facile parari possunt, quæ obvia sunt, & parvi sumptus, atque cædè semper parati, & prompta. Est autem hic cado: O Latœ, cœnes precor mihi valido, & nate integrâ utenti, tui paratis, & degere senectam non turpem: nec citharâ expertem.

*Valido.* Valenti, sano.

*Latœ.* Aedolus, Latœa filii.

*Integrâ.* Rationis compote, sano,

*Turpem.* Inertem, & ingloriam.

*Nec carentem citharâ.* In qua possim lyricis veribus me oblectare.

✠ ✠ ✠

O. D. E. XXVII.

Suam lyram alloquitur, & laudat.

Venerit  
ut 25.

**P**oscinus, si quid vacui sub umbra  
Lusimus tecum, quod, & hunc in annum  
Vivat, & plures; age, dic Latinum,  
Barbyte, carmen,  
Lesbio primum modulate civi;  
Qui ferox bello, tamen inter arma,  
Sive jactatam religarat udo  
Littore navim,  
Liberum, & Musas, Veneremque, & illi  
Semper harentem puerum canebat,  
Et Lycum nigris oculis, nigroque  
Crine decorum.

*Poscinus, &c.* Ordo est: hoc a te posco, age, o barbite, si quid alias tecum lusi, cane aliquod Latinum carmen, quod carmen vivat in hunc, & plures annos.

*Vacui.* Soluti omni cura.

*Lusimus.* Cecinimus.

*Vivat.* Duret, laudetur.

*Barbyte.* Græca vox est: lyram significat.

*Lesbio civi.* Alcæo, qui Poëta lyricus fuit, è Lesbo insula oriundus.

*Modulate.* Pulsate. Tu, quæ pulsavit, & modulis certis temperavit Alcæus. Indicat autem Alcæum primum inter Græcos Poëtam lyricum fuisse; se primum inter Latinos.

*Qui ferox, &c.* Qui quamvis esset bello assuetus, quod homines feroces, & à Musis alienos reddere solet, tamen, sive inter arma degeret, sive post longam, & periculosam navigationem, versaretur in otio, & pace, barbyto utebatur. Omissum est ab Horatio, hic ut alias, primum sive, sive esset inter arma.

*Religarat.* In littore, in portu post tempestatem ligaverat.

*Liberum.* Bacchum.

*Puerum.* Cupidinem.

*Harentem illi.* Veneri affixum; perpetuum ejus comitem.

*Lycum.* Alcæi amicum.

O D A R V M LIB. I.

O decus Phabi, & dapibus supremi  
Grata testudo Jovis, o laborum  
Dulce tenimen, mihi cumque salve  
Ritè vocanti.

*Dapibus, &c.* Aptæ conviviis, quæ Jupiter celebrat.

*Testudo.* Lyra. Primam enim lyram è squama, & dorso testudinis, & chordis aliorum, compegisse fertur Mercurius: est autem cava hæc squama, & sonora.

*Cumque, &c.* Semper, ubique. Salve mihi, ades mihi quocumque loco, & tempore te appellavero.

*Mihi salve.* Id est, te veneror, amo te, atque amplector. Est formula bene precantis.

O D E XXVIII.

Suam impietatem pristinam detestatur.

Ode et vexum  
ut 2a.

**P**arcus Deorum cultor, & infrequens,  
Insipientis dum sapientia  
Consultus erro, nunc retrorsum  
Vela dare, atque iterare cursus  
Cogor relictos. Namque Diespiter,

*Parcus, &c.* Ego, qui antea fueram parcus, seu negligens, & parùm assiduus in colendis Superis, dum errores Epicureorum Philosophorum insipientium sequerer, nunc, &c. Cum Epicurei negarent à Diis humana curari, eos negligentius colebant.

*Sapientia.* Philosophia.

*Consultus.* Peritus, & quasi doctor, ac Magister. Vulgò,

est vir peritus juris, quem imperitiores, consilium petendi causâ, conveniunt.

*Retrorsum, &c.* Mutare sententiam: aliam viam intrare; Deos colere. Ducta est metaphorâ à re nautica.

*Cursus.* Iter, navigationem.

*Relictos.* Referre me ad pristinam pietatem, quam profitebar, cum Stoicos sequerer.

*Diespiter.* Jupiter, dici patet.

Igni corusco nubila dividens,  
 Plerumque per purum tonantes  
 Egreditur equos, & volucrumque currum,  
 Quo bruta tellus, & vaga flumina,  
 Quo Styx, & invisi horrida Tanari  
 Sedes, Atlanteusque finis  
 Concutitur. Valet ima summis  
 Mutare, & insignem attenuat Deus,  
 Obscura promens: hinc apicem rapax

Igni. Fulmine.  
 Nubila dividens, &c. Jupiter, qui plerumque dividit nubila, cum tonat, id est, qui solet tonare Cælo núbilo, idem ille per serenum cælum equos tonantes aliquando egreditur: ex quo intellexit Deum aliquem reverrà esse, & mihi malum, nisi respicerem, impedire. Tonat interdum Cælo núbilo, interdum sereno; utrumque ex eadem causa, nempe ob exhalationem, & vaporum collisionem: qui vapores, & exhalationes, si densiores sunt, in nubes coguntur; si subtiliores, & altiores, non impediunt quominus cælum serenum purumque videatur. Porro autem quia rariùs fiunt tonitrua cælo sereno, et eorum causa est occultior, quam illorum, que sunt cælo núbilo, ea tonitrua, & fulmina veteres accipiebant tanquam à Deo præcipue immissa, & mali aliquid portendere putabant. Sic

Virgilius, de bello civili agens:  
 Non aliàs calo ceciderunt plura  
 sereno fulgura. Homer. Odyss.  
 lib. 19. &c.

Per purum. Per cælum serenum.

Bruta. Gravis, stupida, sensus, & motus expers.

Styx. Inferorum palus.

Tanari sedes. Inferi. Est Tanagerum promontorium, & antrum quoddam in Laconia, ex quo Poeta fingebant descendere ad Inferos. Itaque pro ipsis Inferis sumitur.

Finis. Non totam Africanam nominant veteres, sed orbem finiri putabant paulo post Mauritaniam, ubi est mons Atlas,

Valet. Potest. Et omnino Deus aliquis, qui humana gubernat.

Ima. Res, & homines inferos ponere in summorum loco.

Attenuat. Abjicit: tenuem, & contemptum facit.

Obscura, &c. Homines obscuros, & ignotos in luce honorum collocat, è tenebris educit.

For-

Fortuna cum stridore acuto  
 Sustulit; hic posuisse gaudet.

Hinc, &c. Ex hoc regno, ex hac domo, fortuna tollit apicem, id est, opes, & honores, quæ sunt quasi fastigia humanarum rerum; eaque hic ponit, id est, in hoc regnum, in aliam domum transfert.  
 Fortuna. Videtur hic illam Horatium cum Deo confundere.  
 Stridore. Tumultu, murmure ingenti.

## O D E XXIX.

Preces ad Fortunam, pro Cæsare ad bellum in Angliam proficiscente:

*De et versu ut 2d.*  
 O Diva, gratum qua regis Antium,  
 Præfens vel imo tollere de gradu  
 Mortale corpus, vel superbos  
 Vertere funeribus triumphos:  
 Te pauper ambit sollicità prece  
 Ruris colonus; te dominam aquoris,

Antium. Urbs est Latii maritima, ubi templum erat Fortunæ celeberrimum. Dicitur autem fortuna illud regere, hoc est, illi præesse, ibi coli præcipue.

Præfens, &c. Potens, quæ hanc vim habes, ut tollas, &c. quæ ita es præfens in omnibus locis, & negotiis, ut possis tollere, &c. Deos præfentes Latini vocant, qui vocanti statim adsunt, qui auxilium, opemque afferunt.

Imo de gradu. Hominem ex

infimo statu attollere ad summum.

Mortale corpus. Mortalem hominem: pars pro toto.

Vertere, &c. Mutare in funera.

Ambit. Ambire precibus, est, rogare blandiendo, supplicando, &c. ut solebant candidati, qui honores ambiebant.

Colonus. Agricola.

Te dominam. Refer ad ambit, vel ad metuunt, quod sequitur.

Quicumque Bithynâ laceſſit  
 Carpathium pelagus carinâ;  
 Te Dacus aſper, te proſugi Scythæ,  
 Urbeſque, gentesque, & Latium ferox,  
 Regumque matres barbarorum, &  
 Purpurei metuunt Tyranni;  
 Injuſoſo ne pede proruns  
 ſciantem columnam, neu populus frequens  
 Ad arma ceſſantes, ad arma  
 Concitet, Imperiumque frangat.  
 Te ſemper anteit ſerua neceſſitas,  
 Clavos trabales, & cuneos manu

Quicumque, &c. Omnes nautæ. Bithyna navis, eſt navis, vel Bithyni mercatoris, vel facta in Bithynia, regione Aſiæ minoris.

Carpathium, &c. Eſt maris Mediterranei pars ad Ægyptum vergens: ita dicitur ab inſula Carpatho, inter Rhodum, & Cretam ſita.

Dacus. Gens bellicoſa, ubi nunc Moldavia, Servia, & Bulgaria.

Scythæ. Populi Septentrionalis, quorû plauſtra vagas ritè trahunt domos, ut ait lib. 3. Od. 18. in ſua patria velut exules, & proſugi.

Matres. Quæ liberis timere ſolent.

Purpurei. Veſtiti purpurâ.

Tyranni. Interdum ea vox Reges ſignificat.

Ne proruns, &c. Metuunt ne

vertas tuû Imperiû & Remp. florentem, ac inſtar columnæ firmæ ſtantem. Cave putes eſſe hanc Horatii precationem: ea enim Odæ extrema reſervatur, eſtque pro Cæſare tota.

Neu populus, &c. Neu fiat aliqua ſeditio, in qua populus cõgregatus cives otioſos, & quietos ad arma ſumenda impellat, Reges ceſſantes cogat arma capere, & excutiat jugum Imperii, ſe in libertatem aſſerat.

Neceſſitas. Hæc præcedere ſemper Fortunam dicitur ab Horatio, quia neceſſarium credebant Fortunæ morem gerere, & neque fieri poſſe ut aliquis ejus imperium excuteret.

Trabales. Clavi trabales ſunt, quibus trabes cõpinguntur, ac proinde majores, & craſſiores:

Cuneus. Cuneus eſt ferrum in acumen latû deſinens, quo im-

Gestans ahenâ; nec ſeverus  
 Uncus aheſt, liquidumque plumbum.  
 Te ſpes, & albo rara Fides colit  
 Velata panno, nec comitem abnegat,  
 Utrumque mutatâ potentes  
 Veſte domos inimica linquis.  
 At vulgus inſidum, & meretrix retrâ  
 Perjura cedit: diffugiunt cadis  
 Cum face ſiccatis amici,  
 Ferre jugum pariter doloſi.

Immiſſo lignum ſinditur.

Ahenâ. Forti, durâ inſtar æris.

Severus. Tenax, premens.

Uncus, &c. Uncus, plumbû ſerviunt rebus inter ſe jungendis, & committendis. Pertinent hîc ad exprimendam neceſſitatis vim, ac potentiam, vel potiùs ad ſignificandam firmitatem, ac ſtabilitatem; quippe quæ moveri, labefacturi, ac reſigi nequit. Videtur his verſibus Horatius deſcribere tabulam Fortunæ pictam, quæ viſeretur Antii.

Te ſpes, &c. Spes additur Fortunæ, quia homines in adverſa fortuna ſola ſpe ſuſtentantur: fides, quia veri, ac fideles amici, ne fortuna quidem reſtante, deſerunt amicos.

Albo, &c. Candidis induta veſtibus: fides enim pura, & ſimplex debet eſſe.

Rara. Quia paucorum eſt.

Colit. Amat, ac ſequi gaudet.

Comitem abnegat. Te comitem non aſpernatur; unâ ire non recuſat.

Utrumque. Quandocumque. Mutatâ. Fortuna felix albis; adverſa nigris veſtibus induitur.

Linquis. Per Fortunâ abeuntè, & avolantè, ſignificatur adverſa; per manentem, ſecunda.

Potentes. Florentes, opulètas.

At vulgus, &c. Fideles amici domus a Fortuna relictas, & amicos infelices non deſerunt: ſed populus, qui ſolam utilitatem ſuam ſpectat, &c. diſcedit.

Cadis ſiccatis. Vbi vident exhaustos ad imam uſque faciem cados, nihil ſuperſeſſe quod rapiant, & liguriant.

Jugum. Adverſam fortunam prementem.

Doloſi ferre. Doloſi in ferendo jugo, & ſocietate bonatum

Serues iturum Casarem in ultimas  
Orbis Britannos, & juvenum recens  
Examen Eois timendum  
Partibus, Oceanoque rubro.  
Eheu! cicatricum, & sceleris pudet,  
Fratrumque. Quid nos, dura refugimus  
Ætas? quid intactum nefasti  
Liquimus? unde manus juvenus  
Metu Deorum continuit? quibus  
Pepercit aris? O utinam novâ

rerum, & malarum; quia socii, & participes bonatum voluit esse, non malarum.

Serues. Serva igitur, o Fortuna, Casarem.

Ultimas, &c. Angliam, & vicinas quasdam Angliæ insulas, esse orbis finem à Septentrione veteres putaverunt.

Examen. Exercitum è recentibus copiis collectum; ab apibus ducti metaphora.

Eois. Orientalibus. Parthos, & Medos intelligit, qui exercitum hunc ducendum in Orientem contra se arbitrabantur, ob Crassum à se ante annos aliquot interfectum. Non ivit Augustus in Angliam; quia legatos Angli miserè ad illum de pace. Vide 2. Indicem, in libri limine.

Rubro. Erythæo, Arabico. Meditabatur enim Augustus bellum in Arabes,

quod iis anno post tertio intulit.

Eheu, &c. Ex eo quod Casar ducat exercitum in Barbaros, & disjunctos populos, occasionem sumit belli civilis defendendi, & externi belli laudandi.

Sceleris. Belli civilis scelerati; quod ante annos 12. ortum sub Julio Casare, vix dum bene sopitum erat.

Fratrumque. In civili bello à fratribus occisorum.

Quid nos, &c. Quid sceleris non suscepimus nos atate hæc dirâ, & propè ferreâ nati?

Nefasti. Nefarii. Juvenus. Milites; à quo scelere nostros exercitus religio deterruit?

Metu Deorum. Pietate, ac religione adversus Deos.

Incede diffingas retusum in  
Massagetas, Arabesque ferrum!

Diffingas. Recudas, reformes; vel, destruas, ut novos Massagetas. Sunt Scythiæ populi; Arabes verò Asiæ.

Dicolo / ODE XXX. Dithyphus

Plotio Numidæ felicem ex Hispania reditum  
gratulatur.

ET thure, & fidibus jurat  
Placare, & vituli sanguine debito,  
Custodes Numida Deos;  
Qui nunc Hesperia sospes ab ultima  
Caris multa sodalibus,  
Nulli plura tamen dividit oscula,  
Quam dulci Lamia, memor  
Acta non alio rege pueritia,  
Mutataque simul toga.

Fidibus. Carminibus lyricis.

Placare. Diis satisfacere, quibus sacrificium vovi, si amicus rediret.

Debito. Votivo.

Hesperia ultima. Hispaniâ; quæ appellatur ultima Hesperia, id est, in ultimo orbe posita, ad Occidentem versa, ut distinguatur ab Italia, quæ vocatur etiam Hesperia; sic autem vocatur, vel ab Hespero Atlantis filio, vel ab Hespero stella, quæ occidente Sole apparet.

Sospes. Reversus incolumis,

Retusum. Hebetatos enses in bello civili, & attritos.

Massagetas. Sunt Scythiæ populi; Arabes verò Asiæ.

Præterea vasa est  
Dimitte tambic.  
constat à ped  
Tambicis  
admissi spem  
Opi.  
2. vasa est  
Tenacis Tamb.  
const. 6 ped. Tamb.  
hui admissi spem

Multa, &c. Quamvis amicos de ejus reditu lætos amplectatur omnes suavissimè, ac deosculetur, nullum ex iis tamen suavius quam Lamiam; quippe meminit, se eodem rege pueritiam egisse, sub quo eam egit Lamia.

Rege. Moderatore, magistro, gubernatore.

Mutata. Togam prætextam, id est, purpureo cinctam limbo, exuebant anno ætatis 17. quo sumebant virilem togam, ac moderatores pueritiæ dimittebant.

*Cressa* ne careat pulchra dies notâ:  
*Non* prompta modus amphora;  
*Non* morem in *Salium* sit requies pedum:  
*Non* multi *Damalis* meri  
*Bassum* Threiciâ vincat amysside:  
*Non* desint epulis rose,  
*Non* vivax apium, neu breve lilium.

*Cressa*. Cretensi, hoc est, alba. Cres, vir Cretensis: *Cressa* Cretensis femina; ut Phœnix, Phœnissa. Effoditur autem in Creta insula terra candida.

*Notâ*. Lapillo albo. Thracæ notabant felices dies albis calculis; insulsos nigris. Juber igitur hanc diem Horatius albo lapillo, ut fortunatam, notari.

*Non, &c.* Id est, bibatur sine modo, saltetur sine requie, largè utrumque, & assatim fiat.

*Promptè*. Quæ citò, sine mora petenti detur: vel; depromptæ, & educæ è cella vinaria.

*Salium in morem*. Ut solent saltare Salii, Martis Sacerdo-

tes; qui certis diebus saltationem quamdam exercebant in honorem Martis, ter pede terram percutientes agilitate summa.

*Multi meri*. Ebriosa mulier.

*Bassum*. Potorem egregium.

*Amysside*. Amyssis poculum est capax, ita dictum Græca voce, quòd sine interpiratione hauriendum erat. Sententia est: caveat Bassus, ne ipsam vincat *Damalis* potans amyssidem totam. Threiciam vocat, vel quia revera erat Threissa, vel quia Thracæ ebriosi ferebantur, & ejusmodi calices uno haustu siccabant.

*Apium*. Herba diu virens, & vivens.

*Breve*. Citò marcescens.



*Alcaica*  
 ODE XXXI. *Tetrastichos*

Mors Cleopatræ, ab Augusto victæ navali bello. *Alcaica*  
*5. ped. et Silaba.* *N*unc est bibendum: nunc pede libero *Dactylicus.*  
*4. ped. et Silaba.* Pulsanda tellus: nunc Saliaribus *Catalectus.*  
*3. ped.* Ornare pulvinar Deorum *Dum* *Aspice cæta læ-*  
*3. ped.* Tempus erat dapibus, sodales *Dactylic.* *Alcaica*  
*3. ped.* Antehac nefas depromere *Cacubum* *Catalectus.*  
 Cellis avitis, dum Capitolio

Regina dementes ruinas,

Funus, & Imperio parabat,

Contaminato cum grege turpium

Pede, &c. Saltandum est liberè, ac temerè.

*Saliaribus dapibus*. Quas nempe apponant, & instruant Salii Sacerdotes, de quibus dictum est Ode superiori: vel exquisitis dapibus, qualibus isti Salii solebant vesci, qui magnifice, & opipare epulabantur.

*Pulvinar*. Est sacculus plumâ, vel tomento fartus, qui capitibus, aut cubitis accumbentium in lectulis subijciebatur. Post victoriam insignem aliquam solebant Romani Diis suis quasi epulum præbere. Itaque mensas in templis struebant, ac dapibus emulabant; circa mensas sternebant lectulos cum pulvinaribus, iisque Deorum, quasi convivarum, statuas imponebant.

*Tempus erat*. Tempus est;

imperfectum pro præsentis, Græco more.

*Antehac*. Antequam victa, imò extincta fuisset Cleopatra.

*Cacubum*. Vinum generosum, natum in Cæcubo, Campaniæ monte.

*Avitis*. In quibus illud avi, majoresque nostri condiderant.

*Dum, &c.* Interea dum Regina Cleopatra dementi, & irritò conatu pararet evertere Capitolium, & Imperium Rom. extinguere.

*Capitolio*. Templum erat Jovis, in clivo Tarpejo, ita dictum ab hominis capite ibi invento, dum fundamenta effoderentur.

*Turpium virorum*. Eunuchorum, qui solent foedis moribus laborare, & contaminati, olentesque esse.

Morbo virorum, quidlibet impotens  
 Sperare, fortunaque dulci  
 Ebria. Sed minuit furorem  
 Vix una sospes navis ab ignibus:  
 Mentemque lymphatam Mareotico  
 Redegit in veros timores  
 Casar, ab Italia volantem  
 Remis adurgens, accipiter velut  
 Molles columbas, aut leporem citus  
 Venator in campis nivalis  
 Emonia; daret ut catenis

Fatale monstrum. Quam generosius

Impotens sperare. Adcō demens, & vecors, ut auderet omnia sperare, etiam illa, quæ fieri nullâ ratione poterat, v.g. Romanorum Imperium dele- re. Impotens propriè est ille, qui extraneis animi motibus imperare non potest, qui frænâ laxat iræ, libidini, &c. Impotens autem sperare, Græca locutio est: in eo impotens, quod speraret, &c. quæ se cōtinere non poterat: quin speraret quidlibet.

Minuit, &c. Ejus potentiâ, & audaciâ fregit accepta clades ab Augusto, qui vix unam ex ejus navibus ab incendio sospitem reliquit, & ejus animum furiosum, & vino ebrîum Mareotico, quod in conviviis cum Antonio celebratis sæpè hauserat, veris timoribus implevit, non falsis, ut ejus spes

erant falsæ. Porro Cleopatraz naves, aliæ statim post Acticâ victoriam sunt à Casarianis incensæ, aliæ ab Arabibus, qui in Erythraz sinu erant. Vide 2. Indicem Odarum ad annum 722. ab V.C. 723.

Lymphatam Furiosam. Quæ canis rabiosus momordit, ii lymphas fugiunt, & horrent: hinc lymphatus pro furioso ponitur.

Mareotico. Mareotis est palus, & regio Ægypti, ubi optimum vinum nascebatur.

Volantem. Fugientem ab Græcia, quæ non longè abest ab Italia.

Adurgens. Celerrimè persequens.

Emonia. Thesaliæ, ita dicta est ab Rege quodam suo Emone.

Monstrum, Cleopatram fu-

ren-

Petere quarens, nec muliebriter  
 Expavit enses, nec latentes  
 Classe citâ reparavit oras.  
 Ausa & jacentem visere Regiam  
 Vultu sereno fortis, & asperas  
 Tractare serpentes, ut atrum  
 Corpore combiberet venenum,  
 Deliberatâ morte ferocior:  
 Sævis Liburnis scilicet invidens  
 Privata deduci superbo  
 Non humilis mulier triumpho.

rentem instar belluæ. Fatale vocat, id est, fato quodam, & irâ Superum exortū. Exitiale.

Generosius. Quam in catenis, & in triumpho.

Nec expavit enses. Voluit sibi ferro vitam adimere, neq; duvitavit enses nudos suorum custodum petere; qui mortem illi tamen negarunt.

Nec, &c. Non ivit Cleopatra classe citâ, & properante in oras Ægypti latentes, & ultimos Regni sui fines, ut eos repararet, ac munitet, ad bellum instaurandum.

Latentes oras. Ægypti recessus, & urbis intimas.

Jacentem. Profligatam, & mœrentem.

Deliberatâ. Quam sibi inferre statuerat: idèd ferox, quia mori certa.

Liburnis. Navibus angustioribus, in Liburnia, Illyrici

regione factis; quales erant illa; quibus Augustus in prælio navali contra Antonium usus erat. Vide Oden. 1. lib. Epodon.

Invidens, &c. Indignata, & nolens, ob superbiâ, hunc honorem navibus Liburnis, à quibus victa erat, & quæ idèd sævæ appellantur, tribuere, ut in iis Romam duceretur.

Deânci, &c. Duci ex Ægypto in Italiam, ut privata mulier, ipsa quæ non obscura, & infimo loco nata, sed nobilis, & Regina erat. Explicat etiam Lambinus, non humilis, non parvo animo, & fracto. Est autem ordo: scilicet invidens hanc Casari gloriam, ut ipsæ, tanti nominis, tantæ dignitatis mulier, capta, & Regno spoliata, instar femine private, in Liburnis navibus, tanquam in triumpho, deduceretur.

Dicōlo. ODE XXXII. Tetartoph.

Apparatum convivii frugalem, & minimè sumptuosum, sibi placere.

TT. TTT

Saphici Perficos odi, puer, apparatus; Displacent nexa philyrâ coronaz; Mitte sectari, rosa quo locorum Adoniciu Sera mōretur. Simplici myrto nihil allabores Sedulus curo: neque te ministrum Dedecet myrtus, neque me sub arctâ Vite bibentem.

Perficos. Magnificos; quales à Persis adhibebantur; v. gr. odores, unguenta, &c. Perlæ in convivis erant imprimis sumptuosi, & multarum deliciarum.

Puer. Servule.

Philyrâ. Est cortex interior, ac tenuissimus, ex arbore tilia decerptus, qui ductus in tannias, necendis floribus servit.

Mitte. Omitte, noli investi-

gare, ubi nascantur rosæ rare diores.

Simplici, &c. Ordo est: curo sedulus, ut nihil labores addere pro convivii apparatu ad simplicem myrtum: nihil nisi coronas è myrto volo. Myrtus adhibebatur in conviviis, boni odoris causâ, & quia fumos vini discutere credebatur.

Arctâ. Densâ, umbrosâ.



Q. HO



ODARVM

LIBER SECVNDVS.

Dicōlo. Alcaica. Tetartoph. ODE I.

C. Asinium Pollionem monet, ut, omisâ, quam scribebat, de bello civili tragediâ, vel historiâ, in Remp. potius ordinandam incumbat. Bellum civile deplorat.

Vide 88c. 31. lib. 1.

Orum ex Metello Consule civicum, Bellique causas, & vitia, & modos, Ludumque Fortuna, gravesque Principum amicitias, & arma

Motum, &c. Ordo est: Pollio, insigne mœstis præsidium reis, &c. tractas, sive scribis motû civilem, belli civilis varios, ac turbidos eventus, ex Metello Consule, id est, ab eo tempore quo Q. Cæcilius Metellus Celer fuit Consul, qui est annus ab V. C. 694. quo Cæsar, Crassus, & Pompejus, inter se de invadenda Republica fœdus iniêrunt.

Causas, & vitia. Simultatem ortam Cæsarem inter, & Pompejum, multorû ambitionem, odia, libidines, nimiam, ut ait

bellè Florus, felicitatem, &c. Vide Suet. c. 29. & 30. in Julio Cæsare.

Modos. Seditiones, pugnas, deliberationes partium.

Ludum Fortuna. Varios casus, quibus Romanam rem, ut pilam, jactare Fortuna videbatur.

Principum. Cæsaris, Pompeji, & Crassi, qui societatem junxerant, Reipublicæ funestam. Florum lege, lib. 4. c. 24. 3. & seq.

Arma, &c. Arma uncta, id est, delibuta, & adhuc stillantia

F